



P RÆFATI O AUCTORIS.

L. S.

V Etus opinio est, jam in-
de ab Heroicis ducta
temporibus, nihil hodie
dici, quod non dictum sit
prius. Hujus scilicet auctores mini-
mè præsagiebant, venturum tem-
pus, quo ista, quæ tunc latebant,
clarescerent; venturos dies, quibus
nos tam aperta nescisse majores mi-
raremur. Cunctis enim rebus inest
quidam velut orbis, ut sicuti cœle-
stia sydera, ita scientiarum vertan-
tur: nec omnia apud antiquos op-

* 2. tima;

PRÆFATIO

tima ; nec apud omnes statim gratiam, fidem, auctoritatem inveniunt, quæ sola ratione & observationibus ponderantur. Si hanc sapientes viam tenuissent, ut semper majorum intra terminos subsisterent ; demissa adhuc tenebris lateret veritas : nova artium lumina minimè luce-rent. ARCHIMEDEM mirata est antiquitas, quum illius ingenio Syracusæ defenderentur. Nec DEMETRIUS, ob repartam machinam, minore gloria fuit, & famam in posteros præmium transmisit. Nostra verò ætas ut ista magnifice exornavit, sic & artes novas eduxit, ad quas priorum nunquam industria penetraverat. Quis tormenta nescit bellica ; quanto vel ballistis concitatiore, vel catapultis rapidiore impietu feruntur ? Quis nescit navigandi peritia, cum Belgæ in arma truderentur, contabulatum classibus mare ? repertas Insulas ? reserata

In-

A U C T O R I S.

Indiæ claustra ? maximam Occidui
orbis partem , priscis ignoratam ,
nostris ingenti commodo cognitam
suisse ? Quid artem loquar Typogra-
phicam , divinarum humanarumque
rerum propagatricem ? Quid Medi-
cinam ? quæ per diversos temporum
orbes , velut gradibus processibusque
aucta , dum priorum inventis nova
adjicit posteritas , aut fluxas ratio-
nes cautè ludificatur , robusta matu-
ritate in eam qua bodie est magni-
tudinem enavigavit . Multa adhuc
sacro involucro tecta jacent , & fas
est mortalibus omnia rationi con-
grua , inquirere ; multa admirari
imo & venerari debemus , nam ar-
canis proxima , investiganda non
sunt . Mansimus inter Æsculapii
limites ; singulæ artes sua habent
addenda , & quæ latè spatiari vi-
dentur , à superfluis mundandæ .
Atque ista de nostris hausta fonti-
bus , ac mox ubivis derivata , haud
leve

PRÆFATIO

leve compendium humano generi attulerunt. Quisquis mentis valens acumine, blanditiis voluptatum socordiave non irretitur, sed ad artis medicæ contemplationem tempus sumet, poterit eandem cum veteribus orbitam terere, eorumque opibus adjutus, amplissima arti conferre incrementa, & abstrusarum rerum addere proventum. Quocirca ab hinc annis variis, quum adducto per meditationem animo, deprehensum plurima in Medicis turbide adeo tradita, ut quid sequendum declinandumve ambigerem; id negotii credidi mihi dari, quodcumque vel alii repererant, vel ipse observaveram, in communie breviter conferrem. Hinc prodierunt Opera nostra Theoretica & Practica, uti & Anatomes libri novi, à veterum placitis immensum discrepantes Quæ provincia licet per ardua, spretis tamen malorum obtrectationibus,

eam

A U C T O R I S.

eam subire generosum duxi. Ex hoc genere videtis esse quoque Lexicon hoc, recens, cu^m clavem artis, ex inventis præcipue juniorum compotatum. Nam quæ EROTIANUS, GALENUS, & inter recentes GORÆUS, FOESIUS, CASTELLUS, tractaverunt, ea suis auctoribus sic addicta, ut vix latum unguem discedere erubescant. Id privatis usibus serviit aliquamdiu, donec suasu an imperio aliorum publicatur. Si summam in eo perfectiōnem non affecutus, si operarum in Græcis παροξύμωνα, hæc humanæ fragilitati vel incuriæ donare. Satis amplum præmium feram, si Lectoribus haud ingratum accidat; quod in vestros sinus, deterſo vanæ adulatioñis fuso, ingenuā devotione confertur. Valete

Lovanii
M. D. CC. LIII.